

Ill^{me} et Rev^{me} Domine.

Quae hactenus fausta, infausta contigerunt, replicare nolo, ne vulnus doloris vestri refricem, luctuosoque murmure repetam illam, quae in sermone eruditorum est, *θεομαχίαν*. Satis illi indultum, 5 satis silentio meo, cuius si nunc excusationem texam, repetam integri semestris historiam, cuius non vobis minus quam mihi toediosam fore *ἐν ἀμνησιν* auguror. Sanctissimi in Christo D.N. D. Clementis papae VIII. animam ut spero apud coelestes triumphare, ita memoriam perpetua benedictione apud mortales florere opto. Aliud nil vir- 10 tus eius, nil pietas, studiaque in rem christianam praeclara ac rara meruerunt. De me taceo, quem Atlas ille ut filium humeris semper sustinuit, extulit, servavit. Id tamen dico, cum aliud non possim, Vivat Clemens Clemens sempiternum. De praesenti pontifice maximo quanquam vereor, ut sera gratulatio sit, quia tamen vel serò 15 orbis christiani pastori gratulari pietas iubet, en gratulor ex animo, eiusque pontificatum urbi, orbi, Ecclesiae auspiciatissimum esse voveo.

De v^{ae} ill^{mae} dis statu spero eum esse quem semper volui et optavi, hoc est foelicissimum. Mea ratio illa est, ut emendatis ali- 20 quantulum priorum temporum infortuniis ill^{mus} archiep^{us} noster (quem primum et potissimum rerum mearum patronum hactenus Moguntia largita est) aulico me suo consilio non adsciverit solum, sed et praefecerit ecclesiastico, hoc est omnibus illis negotiis, quae extirpandae haeresi, plantandae ac propagandae catholicae fidei in recens adiectis 25 comitatibus et feudis, adeoque hominum animabus Deo veritatisque lucrifaciendis operam navant. Adhuc fateor provincia, ac magni laboris, maioris conscientiae. Sed sublevaturum spero eum, cuius gloriae milito. Hic suppetet consilium, hic sapientiam, hic prudentiam, ut cum vel maximè ineluctabilis videbitur hominum nequitia, praesentis- 30 sima futura sit christianae Petrae victoria.

Proximis nundinis libellos aliquos edidi, partim novos, partim

/ innovatos, quos et bibliopolae vestrati ad manus Ill^{mae} Dis^{is} v^{ae}
transportandos dedi. Transportarit tradideritque nec ne dubito. P
Praesentibus nil lectione dignum habui, nec puto deinceps facile,
cum haec Sparta perpetuum incudi suae malleum flagitatura videatur.
5 Vale Ill^{me} et Rev^{me} Domine, meque qua hactenus gratia clementer
prosequere. Moguntiae pridie S.Matthaei. MDCV.

Ill^{mae} et R^{mae} Dis^{is} v^{ae}

Humillimus

Justus Baronius Veteracastⁱens.

10 -----

D.

Adresse: Ill^{mo} et Rev^{mo} Dñō Roberto /
Bellarmino S.R.E.Cardinali
Archiepiscopo Capuano, Dñō suo
Patrono Clementiss^o.

15

Romam.

Carte Cerviniana, 54/94. Origin. signat.autogr.